

nec partem posuere suis — quae maxima turba est —;
 quique ob adulterium caesi, quique arma secuti
 impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
 inclusi poenam exspectant. ne quaere doceri
 quam poenam, aut quae forma viros fortunave mersit. 615

saxum ingensvolvont alii, radiisque rotarum
 districti pendent; sedet aeternumque sedebit
 infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis
 admonet et magna testatur voce per umbras:
 "discite iustitiam moniti et non temnere divos." 620

vendidit hic auro patriam dominumque potentem
 inposuit, fixit leges pretio atque refixit;
 hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos;
 ausi omnes inmane nefas ausoque potiti.
 non mihi si linguae centum sint oraque centum, 625
 ferrea vox, omnis scelerum comprehendere formas,
 omnia poenarum percurrere nomina possim.'

Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos,
 'sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus.
 adceleremus' ait: 'Cyclopum educta caminis 630
 moenia conspicio atque adverso fornice portas
 haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.'
 dixerat et pariter gressi per opaca viarum
 corripunt spatium medium foribusque propinquant.
 occupat Aeneas aditum corpusque recenti 635
 spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.

His demum exactis, perfecto munere divae,
 devenere locos laetos et amoena virecta
 fortunatorum nemorum sedesque beatas.
 largior hic campos aether et lumine vestit 640
 purpureo, solemque suum, sua sidera norunt
 pars in gramineis exercent membra palaestris,
 contendunt ludo et fulva luctantur harena;
 pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.
 nec non Threicius longa cum veste sacerdos 645
 obloquitur numeris septem discrimina vocum,
 iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.